Mechoacana Electionis.

Eminentissime, & Reuerendissime Dñe.



T consultum esset quieti, ac tranquillitati Religiosorum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prouinciæ Mechoacanæ, quæ partim constituebatur, prout etiam nunc constituitur ex Natis in Hispania, partim ex alijs in Indijs vulgariter *Criolli* nuncupatis, & ne inter eosdem PP. Emulatio oriretur occasione muneris Prouincialatus, aliorumque Officiorum, sa: me: Gregorius XV., mandauit seruari alternatiuam; Ita nempè, vt per vnum triennium Nati in Hispania haberent Prouincialatum, cæteraque Prouinciæ Officia, & eo finito subintrarent Criolli *Summ. Num.*1. Deindeque sa: me: Vrbanus Octauus destinatis exequutoribus Archiepiscopo Mexicano, ac Episcopis Mechoacano, & Guadalaxaren., eorumque Officialibus, statuit, ac præcepit, vt expleto triennio Criollorum tunc currente, Prouincialatus, ac reliqua Officia, statim Hispanorum parti deuoluerentur *eodem Summario Num.*1. *littera A.*, Quæ lex deuolutionis pro dicta Prouincia in particulari, consonat etiam cum alia generali, quam pro toto Ordine Sancti Augustini longè prius ædiderat sa: me: Martinus V. iniuncta pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrendæ ab ijs, qui elapso triennio impedirent celebrationem Capituli Prouincialis, ac non facerent renunciationem sui Officij Prouincialatus *Summ. Num.*2.

Electo in Prouincialem anno 1691. Patre Magistro Gregorio Isaguirre ex Natis in Hispania, & isto durante munere Vita functo, subintrauit ad regendam Prouinciam anno 1693. in qualitate Rectoris Prouincialis, Pater Antonius Guttierez eiusdem partialitatis, qui continuauit vsque dum effluxit triennium eiusdem Patris Gregorij, & imminente tempore Capituli, quod celebrandum erat prima die Maij anni 1694., in qua eo anno cadebat Sabbatum præcedens tertiam Dominicam post Pascha Resurrectionis, quæ est dies præfixa in Constitutionibus Ordinis, Litteras Conuocatorias solitas transmisit per Prouinciam pro eadem die, & hoc expleto reliquit Prouinciam, & Mexicum se contulit, aliasque litteras transmisit prorogationis Capituli vsq;ad diem 15.eiusdem mensis,& demum superaddidit tertias anticipationis celebrationis pro die duodecima, At sicuti huiusmodi prorogatio erat summoperè læsiua Legi alternatiuæ, & aduersabatur dictæ Constitutioni Martini V., ità pars Criollorum sentiens se ab illa grauatam adiuit

Illustrissimum Episcopum Guadalaxarensem, eiusque Vicarium, ad hoc, vt isti tamquam Iudices Delegati per Vrbanum Octauum supradicta obseruari præciperent, sicuti fecerunt, declarando à supradicta die prima Maij, in qua celebrari debuerat Capitulum omnia Officia ad partem Criollorum fuisse deuoluta, ac deputando Patrem Philippum de Figueira executorem, rursus Patrem Guttierez deponendo ab Officio Prouincialatus,& nominando Patrem Christophorum Plancart Exprouincialem ex Criollis, cui iuxtà Constitutiones Ordinis competebat tale munus, idemque fecit de Officio Præsidentis Capituli, quod deuolutum declarauit ad Patrem Didacum de la Crux relicto P. Eguia quod exaduerso admittitur.

His ità peractis die 15. Maij dicti anni 1694. celebratum fuit Capitulum, & in eo electus Prouincialis Pater Didacus Campos Criollus, à Patre Præsidente Capituli confirmatus, & deindè recognitus à Prouincia, à qua, ea quæ fieri potuit celeritate acta Capitularia transmissa fuerunt Reuerendissimo Patri Generali, qui illis consideratis, varijs de Causis, & signantèr ob transactam diem præfixam ad eligendum, & ob mutationem Officiorum; dictum Capitulum nullum, ac irritum declarauit, & quia talis nullitas non eueniebat ex defectu personæ Electi, ideò eumdem Patrem Campos, ac alios Officiales iure deuoluto ad munera, ad quæ in Capitulo electi fuerant nominauit, quod permittitur in Constitutionibus Ordinis *Summ. Num.3.*

Dum hæc coram Reuerendissimo Patre Generali agebantur, supradicti PP. Guttierez, & Eguia sub prætextu grauaminis ob expoliationem à prædictis Officijs, quæ tamen expressa lege resistente sibi retinuerant,extorserunt à Signatura Iustitiæ Breue directum Illustrissimo Episcopo Mechoacanen., vt Causam decideret subticita litis pendentia coram Patre Generali, & cum narratiua falsitatibus plena, & illius vigore præfatus Episcopus Sententiam Vicarij Guadalaxarensis sub die 30. Maij anni *1696.* nullam, ac irritam declarauit, ac iniustum fuisse spolium P. Guttierez, & cæterorum à suis Officijs, ad quæ restitui mandauit vsque ad Capituli Generalis celebrationem faciendam ad terminos Constitutionum Ordinis, quibus mandauit, vt PP. se conformarent; Et ità dictus Pater Campos Prouincialis electus, ac per duos annos iàm Officium exercens fuit depositus, vna cum cæteris Officialibus, etiam contra aliam expressam litteralem Constitutionem fa: me: Innocentij XI. statuentem, quod in Prouincijs Indiarum Electiones Prouincialium substineantur, & pro legitimis habeantur, licet patiantur defectus substantiales,vsque dum ad illam Prouinciam accesserit, super hoc determinatio P. Generalis, vt late legitur in *Summario Num.4.*

Superuentis interim post reliquos menses litteris Patris Generalis declarantibus nullum Capitulum anni 1694., & nominantibus in Prouincialem Iure deuoluto dictum Patrem Campos, iisdem

demque litteris intimatis Patri Guttierez is, qui alioquin, vt par erat, obtemperare debebat, renuit relinquere Officium, in quo continuauit vsque ad mensem Aprilis subsequentis anni 1697., quo tempore nouum Capitulum conuocauit celebrandum in Conuentu Vallisoletano, vt non controuertitur.

Æquo animo tulit sui abiectionem ab Officio Prouincialatus Pater Campos, sperans saltem in Capitulo proximè celebrando pacificandam fore Prouinciam, quatenus quod iustum, & æquum esset inposterum stabiliretur, sed frustrà, quia Pater Guttierez tametsi verbis inuitauerit ad Capitulum Patrem Campos, & suos, nunquam tamen aures præbuit ijs, quæ per eosdem proponebantur ad Pacem Prouinciæ reddendam, immò Hominibus, & Armis præoccupando Domum Capituli, aditum præclusit libertati Electionis, qua de re memoratus Pater Campos cum suis coactus fuit in proximiorem Conuentum de Charo se recipere, & ibi Capitulum iuxtà Leges Alternatiuæ, & Ordinis celebrauit, in quo die 27. Aprilis 1697. electus fuit Prouincialis Pater Lector Iubilatus Nicolaus Ruiz ex Natis in Hispania, & Principalis noster, capta tamen prius Informatione Iuridica super violentijs præparatis à P. Guttierez Vallisoleti, vbi eodem die electus fuit Prouincialis Pater Magister Nicolaus de la Cueua Criollus, ac Aduersarius, quod paritèr non controuertitur.

Ortà contentione, quis eorum esset substituendus, opportunum duxit Prorex Decretum, quod vocatur supplicatorium edere, quo Causam remisit Illustrissimo Archiepiscopo Mexicano Primo Iudici stabilito in litteris Vrbani Octaui in Causis Alternatiuæ *dicto Summario Num.*1.*littera B.*, Et quia (nescitur quo fundamento) Pars Aduersa non obstante tali remissione, adiuit Episcopum Anginopolitanum, iste agnita insubsistentia recursus, sed nihilominus Parti Aduersæ fauens, reassumpsit Causam vigore Breuis Commissionis superius indicatæ, etiam non obstante, quod prætensa Iurisdictio in vim illius saltem oblatam Sententiam iàm per annum, cum dimidio expirasset; Et propter istas contentiones nulla in partibus prodijt declaratio circa validitatem, vel nullitatem respectiuè vnius, aut alterius ex supradictis Capitulis, & Electionibus.

Acta Capitularia Electionis dicti Patris Nicolai Ruiz ad Patrem Generalem, pro confirmatione transmissa fuerunt, sed non ità factum fuit exaduerso de alijs actis Electionis Patris de la Cueua, sed nil mirum, quia iste spræta Electione P. Ruiz voluit omni via, ac sine quocumque timore persistere in Officio, non sine exterminio Prouinciæ, à qua in vnoquoque anno extraxit pro Collectis nouem mille, & vltra petias argenteas, vt in actis Capitularibus exaduerso præsentatis Eminentissimo Ponenti *fol.*58.

Quoniam autem Pater Pacinus Exgeneralis neminem pro Patre de la Cueua, seù Capitulo celebrato Vallisoleti, & ad oppo-

nendum contra Patrem Ruiz, aut Capitulum celebratum in Charo, comparere videbat, æquum, & prudenter duxit, antequam quidquam determinaret, vtque faciliùs suis Ordinibus daretur executio, consulere Maiestatem Regis Cattolici iam de omnibus certiorem factam à Prorege Mexicano, ab eoque humanissimum, ac pietate plenum accepit responsum mediante Regio eius Consilio Indiarum sub die 30. Martij anni *1699.*, in quo post repetitas gratias ob Consultationem factam, declarauit sibi, ac suo Regio Consilio visum esse, quod ad vitanda scandala, & dissidia in ea Prouincia suborta, confirmatione dignum foret Capitulum celebratum in Charo, tamquam conforme Alternatiuæ, vt latius in *Summario Num.* 5., Eodemque responso peruento eidem P. Pacino, qui tunc Bononiæ degebat occasione Capituli Generalis vltimo loco celebrati, haud valuit ob angustiam temporis quidquam præcipere, sed statim ac ad Generalatus munus assumptus fuit Reuerendissimus Pater Seranus, iste non minori zelo, intentus tranquillitati Prouinciæ, materiam examinandam assumpsit vna cum Consilio suorum Assistentium, & Consideratis omnibus considerandis dictum Capitulum celebratum in Charo confirmauit die 13. Iunij anni 1699., annullando omnia acta facta Vallisoleti, superadditis nonnullis declarationibus, & in specie, quo dictum Gubernium P. Ruiz, & cæterorum Officialium inchoasse intelligeretur à die celebrati Capituli anni 1700., in quo eligendus esset Prouincialis vnus ex Criollis, quodque dicti Patres Gutierez, & de la Cueua assumi non valerent ad vlla Officia, donec per dictum Patrem Generalem accederet declaratio super ijs, quæ contra eosdem delata fuerunt *Summ. Num.* 6.

Die septima Augusti subsequentis, & idcircò non dum elapsis duobus mensibus comparuit coram hac Sacra Congregatione Pater Ioannes de la Cueua, acta Capituli Vallisoletani producendo cum supplici libello remisso à Sanctissimo, in quo relicto Iudicio Patris Generalis, petebatur confirmatio illius, prodijtque rescriptum -- *Pater Generalis informet* prout fecit, petitoque postmodum vt à Sanctissimo per suum speciale Breue approbaretur confirmatio Capituli celebrati in Charo, & annullaretur Capitulum Vallisoletanum, die 21. eiusdem mensis, rescriptum fuit *pro confirmatione Decreti Patris Generalis* -- quo mediante Sanctissimus D. N. concessit die 5. Septembris vltimò præteriti Breue super confirmatione, & approbatione demandatorum per ipsum Patrem Generalem *Summ. Num.* 7.

Rebus ità se habentibus supradictus Pater de la Cueua Aduersarius adhùc non contentus de tot præiudicijs illatis suæ Prouinciæ, vt ijsdem etiam inposterum magis, magisque eam afficiat, dum iam in illis partibus in vim demandatorum á P. Generali celebratum erit nouum Capitulum prima die currentis mensis Maij, cum electione in Prouincialem vnius ex Criollis, adhùc tamen petit ab hac Sacra Congregatione confirmari Electionem

nem vt supra sequūtam in eius personam, Sed -- *in Decisis, & seruetur Breue* respondendum videtur.

Cum enim ex facto superius recensito constet, quod in Prouincia de qua agitur ex authoritate Apostolica fuerit Lex Alternatiuæ constituta, & successiuè obseruata, quodque in illius exequtionem pro triennio incæpto de anno 1691. Electus fuerit Pater Isaguirre Hispanus, & in subsequenti triennio incæpto de anno 1694. Pater Campos ex Criollis; Vtique certum remanet, quod anno 1697. pro nouo triennio hodie controuerso, nullatenus eligi debebat alter Criollus; qualis est Pater de la Cueua Aduersarius in asserto Capitulo Vallisoletano Prouincialis renunciatus, sed Electio passiua omninò pertinebat ad Hispanos, qualis est Pater Ruiz in Capitulo de Charo canonice electus, & confirmatus, vt in simili ait *Rota decis. 898. post princip. vers. Nam cum de mense Octobris part. 4. diuersor.*, vbi namque lex Alternatiuæ in aliqua Religione, aut Prouincia Regularium constituta, ac admissa est, ea adamussim seruanda est sub pœna nullitatis actus incontrarium, vt latissimè probat *Fagnan. in cap. cum dilectus à num. 9. vsque ad annum* 56., vbi in specie *num* 37. de alternatiua introducta in aliquibus Prouincijs Ordinis Sancti Augustini *tit. de Consuet. Nauar. cons. 7. per tot. de constit. lib. 1. Donat. in prax. rer. regular. tom. 2. tractat. 1. quæst. 32. per tot. Card. de Luca de Regular. disc. 6. sub num. 19. §. Ponderando, & num. 20. Lezzan. tom. 2. V. Electio inter Regulares num. 56., & 57.*

Maximè verò in casu præsenti, in quo concurrit expræssa dispositio litterarum: fa: me: Vrbani VIII. Electiones aliter factas irritantium ibi -- *Si verò huiusmodi Electiones Prouincialium, Dignitatum &c. aliter quam vt præscribitur fieri contingerit nullæ sint &c. ac irritum, & inane, si secus super his &c.* Perquam actus omnes contra illarum formam expleti ipso iure nulli, ac irriti reputantur *Felin. in cap. cum dilecta 22. sub num. 6. versic. vbicumque est Decretum annullatiuum de rescript. Io: Andr. in cap. sicut num. 1. versic. tu dic. ne Cler. vel Monach. Bartol. in l. vniuersos nu. 2. Cod. de Decurion. lib. 10. Dec. cons. 17. num. 2. Bonaccin. tom. 2. de legibus disput. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 5. num. 2. & 4. Fagundez de Iustit. lib. 1. cap. 4. num. 10.*, & in terminis dispositionis præcipientis seruari alternatiuam inter Regulares *Fagnan. in d. cap. cum dilectus num. 56. & 57. de Consuetud.*

Fortius verò, & sine vlla difficultate reflectendo, quod prò Electione dicti Patris Ruiz, & Capituli in Choro celebrati, ac prò infirmatione respectiuè alterius Vallisoleti, concurrit, nedum confirmatio Patris Generalis emissa cum Voto sui Consilij, & Assistentium *d. Summar. Num. 6.*, quæ omnem præsumptionem validitatis Electionis inducit ad tradita per Canonistas omnes in *cap. licet Episcopus 28.*, & signanter *Lap. Abb. num. 3. & sequen. Geminian. num. 12. de præbend. in 6. Io: Andr. in cap sicut 16. num. 11. de sent., & re Iudic. Rot. coram Cels. decis. 58. num. 1. cum duobus sequen. coram Priol. decis. 205. num. 29. & in Leodien.*

Præpositura 3.Martij 1684.post princip.coram Albergato; Sed etiam intercedit speciale Breue Sanctissimi Domini Nostri, qui eandem Electionem, & Capitulum specificè confirmando, illius inuiolabilem obseruantiam voluit, ac præcepit *Summ.d.Num.*7. ex eo enim non tantum dicitur Electo plenariū Ius perfectum, & acquisitum, vt in *cap.*1. *& 2. de confirmat. vtil., vel inutil: Fagnan. in cap. de Rectoribus num.*23.*de Cleric.egrotant. Abb.cons.*41. *num.*3.*part.*1. *Rot. coram Gregor. decis.*511.*num.*1. *late cor. Bich. decis.*261.*num.*7. *cum tribus sequen., & in recent. decis.*292. *num.*3. *part.*5. verum etiam ob superraditas clausulas irritantes, sublata dici potest quæcumque facultas contrarium declarandi *Cardin. in cap. quia diligentia* 5. *de Elect. Paris. cons.*38. *num.*7. *lib.*4. *Gabr. cons.*83. *in fin. lib.*2. *Adden. ad Pamphil. decis.*705. *nu.*6. *Rot. coram Caputaquen. decis.*134. *num.*3. *&* 4. *part.*3. *in rec. decis.*180. *num.*2. *part.*2. *cum alijs plenè congestis coram Bich. d. decis.*261. *sub num.*14. *vers. Cumque Papa, & num.*15. *&* 16.

Quibus si addatur, quod ipse Serenissimus Hispaniarum Rex, eiusque Consilium Indiarum prò reddenda Pace huic Prouinciæ insinuauerit, ac instеterit prò confirmatione nostræ Electionis, & Capituli *Summ.d. Num.*5., & vlterius quod instantia Patris Ruiz non prouenit ex ambitu protrahendæ gubernationis, & Prouincialatus, cum triennium iam plenè completum, ac elapsum sit, & nouum Capitulum in principio currentis Mensis celebratum fuerit, itaut quælibet contraria prætensio totam Prouinciam penitùs inuolueret, ac subuerteret; Profectò credimus vndiquè rem in tuto positam existere, cū in hisce casibus soleat hæc Sacra Congregatio vices Principis assumendo, ea temperamenta prudentialia amplecti, quæ iuxtà subiectam materiam commendabiliter expedire dignoscuntur, vt monet *Card. de Luc. de Regular. disc.*3. *in fin.* & in simili ferè casu ex prædictis circumstantijs satis iam fuisse prouisum declarauit in vna *Discalceatorum Sancti Augustini Congregationis Hispaniarum, & Indiarum prætensa nullitatis Electionis Vicarij Generalis* 23. *Aprilis* 1694. *ad relationem Eminentissimi Præfecti*.

His prænotatis superfluum videtur descendere ad examen exceptionum, quæ ex parte Patris de la Cueua aduersus memoratum Capitulum obijciuntur, sed nihilominus potius, vt decor Vocalium, qui in eo interuenerunt ab omni suspicione vindicetur, quam quod necessitas id expostulet, dicimus nullatenus habendum esse in consideratione, quod Capitulum celebrari non potuerit in Conuentu Oppidi de Charo, quando illud celebrandum imminebat Vallisoleti; Quoniam cum Vallisoletum non esset locus tutus prò Vocalibus, qui in dictum Conuentum se receperunt, ob Arma, & violentias contra ipsos ab Aduersarijs paratas, & ob præoccupationem Domus Capitularis; Et super huiusmodi violentijs nostri Vocales Iuridicas informationes antè Capitulum sumi curauerint, vt in *Summ Num.*8. *&* 9. Inde sequitur, obiectum penitùs euanescere, cum iusta Causa inter-

interueniente, & signanter ob deficientiam libertatis, mutatio loci sit omninò permissa *Donat. in prax. Regular. tom. 2. tract. 2. de loc. Election. quæst. 1. num. 2. Passarin. de Elect. cap. 12. num. 8.* & in specie *Card. de Luc. de Regular. disc. 12. num. 1.* ea ratione quia in Electionibus nil magis attendi debet, quam plenaria libertas, vt in *cap. cum Terra 14. de Elect. in cap. cum dilectus 8. de consuet.*, & *in cap. vbi periculum 3. §. Cæterum de Elect. in 6. Petr. de Baijs in director. Election. cap. 6. primæ part. num. 1. & 2. & num. 15.*, vbi etiam si metus esset leuis, inter *tract. Magn. tom. 15. part. 1. fol. 381. & 382. Passerin. de Elect. cap. 4. num. 6. & 7.* Nec mutatio loci Sacris Canonibus contrariatur, cum in eis nil aliud Statutum sit, quam quod locus cælebrationis sit Sacer, aut honestus, vt notant *Bald. in cap. primo num. 2. de Postul. Siluester vers. Electio prima quæst. 8. Donat. dicto tom. 2. tractat. 2. quæst. 1. num. 1. Passerin. de Elect. dicto cap. 12. per tot. Lezzan. tom. 1. cap. 15. num. 19.*

Frustrà verò prò exclusione Armorum, & violentiarum subnectitur exaduerso fides cuiusdam Antonij Perez, vltra quod enim est vnicus, & informis, ac habet contra se omnem inuerisimilitudinem resultantem, tum ex determinatione Regij Consilij, tum ex discessu sanioris partis Capituli, idest veri Prouincialis, aliorumque obedientium, qui temerè, & sine causa factus, non est præsumendus; Huiusmodi attestatio ex pluribus plenè inefficax dignoscitur, tum quia nimirum deponit limitatè de die 26. Aprilis de serò, ad diem 27., *vt in Summario Partis num. 18.* quando nempè iam Patres discesserant, *vt in nostro Summ. Num. 8. in fin.* Et consequenter inutiliter deponit, cum non percutiat tempus necessarium antè Electionis celebrationem quo violentiæ paratæ fuerant *Glos. in l. cum actum ibique Bart. num. 6. ff. de negot. gest. Ancharan. cons. 388. num. 8. Crauett. cons. 6. sub num. 106. Rim. Iun. cons. 10. num. 43. Rot. coram Duran. decis. 337. num. 43. Rot. coram Buratt. decis. 175. num. 17. coram Cerr. decis. 515. nu. 24., & in recent. decis. 361. num. 6. part. 2., & decis. 99. num. 10. part. 7.* Tum etiam quia nil aliud dicit, quam quod ipse non viderit Arma, nec personas armatas, quod sinè coarctatione negatiuæ, vanum prorsus reputatur iuxta *Glos.* communiter receptam in *§. Hinc nobis versic. & vidisse auth. de hæredib. & falcid. Rot. coram Seraphin. decis. 1102. num. 8. coram Mantic. decis. 341. num. 5. coram Gregor. decis. 42. num. 5. coram Buratt. decis. 43. num. 2. coram Bich. decis. 322. num. 16., & decis. 591. pariter num. 16. part. 5. recent.*; Tum demum, quia cum de metu, & violentijs deponant sex Testes tunc temporis recepti, *vt in dicto Summario Num. 9.* Nedùm fides vnius incontrarium, sed nec attestatio, si adesset, mille Testium super libertate, ac exclusione violentiarum deponentium, attendenda veniret iuxtà opinionem vbique receptam, de qua apud *Innoc. in cap. super hoc 4. num. 2. de renunciat. Abb. in cap. Perlatum sub num. 10. de his, quæ vi, metusque Caus. Alex. cons. 156. num. 3. lib. 5. Paris. cons. 53. num. 62. lib. 4. Gabr. de Testibus conclus. 4. num. 15. Guttier. de Matrimon. cap. 78. num. 7. Rot.*

coram

coram Gregor. decis.326. num.46. ibique Adden. litt.G. coram Arguell. decis.9. num.65., & in recent. decis.212. num 10. part.16.

Minoris momenti est quod in hoc Capitulo anni 1697. eligi non potuerit Hispanus, ex quo Criollus, qui administrauit in antecedenti triennio, habuerit Prouincialatum, non ex Electione confirmata, sed ex deputatione P. Generalis ex Iure deuoluto.

Omisso namque, quod Ius deuolutum ob lapsum temporis celebrationis Capituli erat omninò clarum, & indubitatum, vtpotè proueniens tam ex Sacrorum Canonum determinatione de qua in *cap. nè prò defectu* 41. *de Elect. in Clem. quia regulares de supplen. neglig. Prælator. & in Clem. exiui de Paradiso §. Cæterum de verbor. signification.*, quam ex Constitutionibus Ordinis *par.3. cap.11. §.4. num.2.* de quibus in *Summ. Num.3.* Insuper quod obstare non poterat emendicata Causa violentiæ, quæ supponebatur à Prorege Indiarum illata, vti merè figurata, ac nunquam vsque in præsentem diem iustificata, vt patet ex toto *Summario Partis Aduersæ*, & demum quod saltem prouisio Patris Generalis accipienda erat prò determinatione illa cui same: Innocentius XI. omninò stari voluit, quo ad Electiones Prouincialium in Prouincijs Indiarum, vt in *Summ. d. Num.4.*

Hoc vnum tamen certum est, quod statim occurrit irrefragabilis responsio, quod scilicet dum Criollus in antecedenti triennio Prouincialatum obtinuit, hinc est quod siuè illum administrauerit ex Electione facta in Capitulo à Vocalibus eligere debentibus, siuè extrà illud à Superiore ex Iure deuoluto, semper tamen Electio, aut Officij collatio Turnum consumpsit, quia ad hunc effectum prouisio Superioris habet vim Electionis, & Confirmationis, vt omissis generalibus in terminis probat *Abb. in cap. ne prò defectu 41. sub num.3. versic. nam subrogatus, & num.4. de election.*, ea indubitata ratione, quia vbi statuta est Alternatiua, ac Electio passiua cadere debet super certo genere personarum, semper tale genus fruitur, ac gaudere debet suo Iure, ac prærogatiua, siuè Electio fiat ab Electoribus capitulariter, siuè à Superiore ex Iure deuoluto, siue demum fiat subrogatio in locum Prælati Regularis demortui, vel impediti prò reliquo tempore ad nouum Capitulum decurrendo, vt de Electione à Superiore facienda ex Iure deuoluto adsunt *Textus express. in d. cap. ne prò defectu 41. §. Is verò* ibique *Glos. v. ipsius, & Abb. cit. num.3. & 4. de Elect., & in Clem. quia Regulares prima de supplenda neglig. Prælator.*, & de subrogatione alterius Regularis prò tempore remanenti latè apud *Vermigliol. cons.464. num.2. cum sequen. Gard. de Luc. de Regular. disc.4. num.9.*

Et re vera si dicendum esset quod Turnus solum consumatur per Electionem in Capitulo, non verò per deputationem quoque factam à Superiore, daremus particulariter in casu nostro, quod Criolli non triennium, sed sexennium gubernare debuissent, daremus verò generaliter, quod leges super Alternatiua passiua promulgatæ institissent, dumtaxat super cortice rei, vel ad sum-

mum

mum super modo eligendi, qui ad actiuam refertur, non verò super effectu administrationis, & gubernij, in quo consistit commodum passiuæ Electionis, & ad quem vnicè prò arguenda consumptione Turni reflectendum est, vt optimè notat *Gonzal. ad Regul.*8. *Cancellar. Glofs.*45. §.3. *num.* 5., & latiùs *Glos.*55. *à num.*11. *vsque ad num.*23. & sequitur *Card. de Luc. de Regular. dicto discurs.*4. *n.*3. *per tot. signanter vers. multo verò magis.*

Ex prædictis autem non solum non incongruè, sed iustissimè infertur ad nullitatem prætensæ Electionis exaduerso Vallisoleti celebratæ, nullitas enim ex pluribus capitibus vnoquoque sufficienti fit euidens. Ex primo sanè quia dum ex lege Alternatiuæ in vno triennio eligi debebat Hispanus, in alio verò Criollus, & in triennio antecedenti, Prouincialatum obtinuerat Criollus, qui etiam per memoratam deputationem Patris Generalis Turnum Criollorum consumpserat, vt mox probatum est, vtiquè nullo modo poterat, in asserto Capitulo Vallisoletano Electio alterius Criolli pro subsequenti triennio reiterari ex authoritatibus supra allegatis §.*Cum enim*, & signanter ex *Fagnan. in dicto cap. cum dilectus num.*56. *&* 57. *de consuetud.*

Secundò quia hoc Capitulum conuocatum fuit à Patre Guttierez *Summ. Partis num.*11. quando isteiam pluribus ante annis suum munus Rectoris Prouincialis expleuerat, quinimmò postquam litteræ deputationis Patris Generalis in personam Patris de Campos iam superuenerant, quibus ipse maximè cum proteruia, vt Prouinciam exauriret obtemperare non voluit, ideoq; nomen Capituli non meretur, sed tantum conspirationis, & rebellionis, ac illiciti cætus priuata authoritate congregati, vt ferè per similia verba animaduertit *Donat. in prax. rer. regular. tom.*2. *tractat.*2. *de loc. Electiom. quæst.*4. *num.*3. *&* 5.

Non attenta replicatione, quod Pater Guttierez esset ab omnibus in Rectorem Prouincialem recognitus, quia huiusmodi recognitio, seu potius perduellio, facta est tantum ab eius asseclis, qui dictum Patrem Guttierez recognoscendo sibi met ipsis eodem tempore consulebant in indebita vsurpatione Officiorum, vt patet ex *Summ. Partis num.*8. *cum duobus sequen.* Non verò sana Pars Prouinciæ obedientiam superiori Generali seruans, talem recognitionem facere suspicabatur, sed Patri de Campos vero Prælato inherebat, vt exitus celebrationis Capituli in Charo signanter demonstrauit, quinimmò ipsemet Pater Campos sustulit quidem equo animo (vt dictum est) sui abiectionem, nec curauit vim vi repulsare, ne Prouincia magis perturbaretur, non tamen Prouincialatum à se abdicauit, sed illum eo modo quo potuit, & saltem in animo retinuit semper se talem nominando, ac explendo actus illos, quos citrà scandalum ei explere licebat, vt ex *nostro Summ. dicto num.*8. *in princip.*, *& ex toto contextu actorum Capitularium*; His autem concurrentibus nulli dubium subesse potest, quin asserta recognitio bona fide, & ab omnibus non processerit, cum dicatur Patrem Campos

re,

re, & animo officium sibi retinuisse *Rip. in cap. cum Eccles. Sutrina sub num.9. de Caus. possess. & propriet. Gratian. discept.310. num.49. & discept.384. num.31. Posth. de manut. obser.57. num.61. cum sequen., & obser.58. num.45. & 46. Rot. post eundem decis.554. num.23. cum sequen. & decis.241. num.4. part.1. recent.*

Tertiò quia Vocales, & signanter idem Pater Guttierez ob non dimissionem Officiorum tempore debito, & multo magis ob violentam retentionem, etiam post superuentas litteras Patris Generalis, inciderant in excommunicationem à Martino V. ipso facto comminatam, *vt in Summ. dicto num.2.* Ac proinde effecti fuerant inhabiles, nec poterant sub pęnis nullitatis ipso Iure Capitulum, & Electionem celebrare, iuxtà *Textum clarum in cap. consulti 15. de Procurator., & in cap. cum inter 16.§. Ideoque de Election. Abb. in cap. gratum num.4. de postulat. Prælator. Fagnan. in cap. cum illarum num.1, de Sent. excommunicat.* latè *Sayr. de Censur. lib.2. cap.6. num.5. Sigismund. à Bonon. de Elect. dub.66. num.5. Samuel eodem tit. tract.2. disput.5. controuers.2. conclus.8. num.14. Pellizzar. in Manual. Regular. tom.2. tractat.9. cap.2. de Elect. Prælator. Regular. n.86. & 88. Laccor. lucubrat. tit.4. cap.16. num.95. & sequen. Passerin. de Elect. cap.10. num.65. Anton. à Spirit. Sanct. de Regular. tit. de Election. Can. tractat.5. disput.2. sect.1. num.11.* Et maximè cum retentio Officiorum, & consequenter excommunicatio omnibus Capitularibus nota esset *Glos. in dicto cap. consulti vers. tales de Procur. Innoc. in cap. illa quotidiana num.4. in fin. de Elect., & in cap.2. de postul. Prælat. Sayr. de Censur. dicto lib.2. cap.6. num.5. versic. & ratio, Peyrin. de subdit. quæst.1. cap.31. §.6. Lezzan. tom.1. cap.15. num.5. Passerin. de Elect. cap.25. sub num.445. vers. quod verum est Anton. à Spirit. Sanct. de regular. dicto tractat.5. disput.4. sect.6. num.98. & 99. Sperell. decis.181. num.54.*

Quartò demum quia vt nil penitùs huiusmodi cætui deficeret interuenerunt etiam arma, & violentiæ, quibus libertas saniori parti adempta fuit vsque ad signum, quod coacta fuerit à Conuentu, & Ciuitate discedere, vt in sæpe citato *Summar. Num.8. & 9.* Quibus in Electionibus interuenientibus maior nullitas considerari non potest ex authoritatibus supra allegatis §. *His prænotatis ante fin.*

Omitti denique poterat, quod confirmatio Patris Generalis sit nulla, & attentata, nulla quia facta fuerit parte inaudita, attentata verò quià expleta sit postquam Episcopus Mechoacanus Causam ad Sanctam Sedem remiserat, & Aduersarij ad hanc Sacram Congregationem recursum habuerant. Quoniam neutrum profectò subsistit.

Non enim potest considerari aliqua nullitas, quia vltrà confirmationem Apostolicam superuentam, inter Regulares in confirmandis, aut cassandis Electionibus, & præsertim partibus non contradicentibus, & diù expectatis extraiudicialiter proceditur, vt in teminis statuitur in *d. Clem. exiui de Paradiso ante fin.*

§. Et

§. *Et si cæterum* ibi .- *Et si quidem Electiones plures in discordia celebrari contingat &c. per dictum Generalem Ministrum de Consilio discretorum de Ordine, prius tamen ex Officio diligenti examinatione præmissa, confirmetur, vel infirmetur prout eis secundum Deum visum fuerit expedire tit. de verbor. significat.* & notabiliter distinguit *Abb. in cap. postquam 3. num.5. de Elect.* & generaliter *Rot. coram Coccin. decis.2341. num.40.*

Non verò adesse potest attentatum ex allegata remissione præfati Episcopi; Tum quia talis remissio in eius Decreto non legitur, sed tantum transcripta apparent verba illa -- *protestando di render conto alla S.Sede di quello, chè si hà oprato, e si opraua, & al Rè Nostro Signore di quello, che era obligato fare nel caso presente*, quæ nullam remissionem præseferunt, aut inducunt, tum etiam quia, & si eam inducerent, nec deuenit ad notitiam Patris Generalis confirmantis, nec poterant eius Iurisdictionem à Constitutionibus Ordinis, & Apostolicis, non autem à dicto Episcopo deriuantem impedire. Non denique attentatum causare potuit recursus ad hanc Sacram Congregationem; Quia Pater Generalis nostrum Capitulum confirmauit die 13. Iunij 1699. *Summario Num.6.* & supplex libellus exaduerso datus Sanctissimo, fuit remissus ad Sacram Congregationem ferè post duos Menses nempè die 7. Augusti subsequentis *Summ. Num.10.* Ideoque cessat quæcumque attentatorum suspicio, cum illa cadere non possint in actu ante prohibitionem, vel eius notitiam expleto *Clem.2. ibique Scribentes vt lit. pend. Lancellott. de attent. cap.4. limit.27. num.1. & 2. & cap.20. limit.25. per tot. Andosill. vot.3. num.23. & 24. post decis. Rembold. Rot. coràm Coccin. dec.2149. num.6. & coram Merlin. decis.10. num.5. & decis.42. num.8.*

Et ex his meritò rescribendum speramus iuxtà superius petita, & præsertim ne amplius serpant dissidia in Prouincia, quæ à tot Annis adeò eam perturbarunt, vt regularis obedientia penè abiecta dignoscatur, & Christi Fideles illarum partium non edificationem à Regularibus prout decet, sed quotidiana scandala desumpserint.

Quare &c.

Bartholomæus Ghitus Aduoc.

Augustinus Galaminus.

SACRA

CONGREGATION

Episcoporum, & Regularium

Emo, ac Rmo Dno Card.

TANAR

Mechoacana Electionis.

PRO

Reu. P. Nicolao Ruiz Ordinis Eremitarum S. Augustini Exprouinciali Prouinciæ Mechoacanæ.

CONTRA

Reu. P. Nicolaum de là Cueua eiusdem Ordinis.

Restrictus Facti, & Iuris

Romæ, Typis R. Cam. Apost. 1700.